

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Joachimus Lutkeman, Theol. Licentiatus ... Ad Exequias Quae Foeminae ... Annae Batten, ... Dn. Levini Batten, I.U.D. ... Relictae Vidua Hodierna prima in templo Mariano parabuntur Omnes omnium ordinum Cives Academicos officiose & amanter invitat


Rostochi[i]: Kilius, 1647


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746838638>


Druck Freier  Zugang



Lutkeman, J.,
in A. Batte,
uxor. L. Batte.
R. 1647.







PROGRAMMA

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOACHIMUS LUTKEMAN,

Theol. Licentiatus; Ecclesiastes &

Professor Physices Metaphysicesq;

Ordinarius.

AD EXEQUIAS

Qua

Fœminæ Honestissimæ

ANNÆ BATTEN,

Clarissimi & Consultissimi Viri

DN. LEVINI BATTEN, J. U. D.

& Professoris quondam in Acade-

mia Rostoch. Vicarij,

Relictæ Viduæ

Hodierna prima in templo Mariano


parabuntur

Omnes omnium ordinum Cives Academicos
officiosè & amanter invitat.

ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLVII.





Udiens Regina quædam Sa-
ba, famam Salomonis & nominis
Jehovæ, non sustinuit non videre
tanti Regis gloriam, ejusq; non au-
dire sapientiam. Iter igitur satis
longinquum ingressa venit Jerusalem, ibiq; vidit
& audivit Regem Salomonem, tanta jucundita-
te, ut fateri non erubuerit: *Verum est verbum,*
illud quod audiveram in terra mea, de rebus tuis &
de sapientia tua; tamen non credidi verbis illis, usq;
dum venirem, & viderent oculi mei: Sed ecce, non
indicatum mihi fuit ejus dimidium: Superas sapientia
& bonitate famam ejus, quam audiveram. (I. Re-
gum 10.) Vita nostra iter est, O Christiani! Ter-
minus cælum est, ubi Magnus Rex Salomon, Je-
sus Christus sedens in gloria patris. *Superna qua-*
rita, ubi Christus est, ad dextram Dei sedens; super-
na curate, non terrestria. (Colos. 3, 1 2.) Via va-
ria est; Eundum est quandoq; per amænitates di-
vinarum consolationum, quandoq; per densas
& terribiles sylvas tentationum atq; tribulatio-
num. In hoc itinere equis ferimur, affectibus. Hi
carnales cum sint, fræno coerceantur necesse
est. Periculum enim est, si quocunq; libuerit

nos perducunt, ne in baratrum infernale nos
præcipitent. Supter te sit appetitus tuus: Ille tibi
non dominabitur, sed tu illi. Itinere ad Dei nu-
tum absoluto, audimus vocem: Descende eques
ab equo, & ingredere Salomonis aulam. Ibi
apertam videbimus Hierosolymoram portam,
inq; Majestatis throno residentem Regem: Ci-
ves Magnæ civitatis, in nostri contemplatione
defixi, adventum nobis gratulabuntur. Rex ipse
pacis osculo nos excipiet; nos totos ei nos offe-
remus, sanctificatos sanguine Jesu Christi, filii
Dei. Deus vicissim se nobis totum tradet, ut
Deus quidam tibi videri possis. O beata unitas!
Deus in nobis gloriosè, nos in Deo. Omnia quæ
in Deo, quantum quidem capere poterimus, in
nobis erunt, ut nos exornent & exhilarent; o-
mnia nostra in Deo erunt, ut gloriosus Deus læ-
tetur in nobis. O beata unitas! Quando ad
te perveniam? quando? quando? O Christiane
minima sunt, quæ de regia hac magnificentia ad
nos fama perfert. Dices, scio, obstupefactus:
Major es Domine, & major tua gloria, quam
nunciatum est in terra nostra. Vicisti famam
millies. Ibi Christiane Gustabis panem cæli,
vinum bibes in mensa Dei; Angelorum Mini-
strantium insignis ordo te attonitum faciet; Et
in omnibus Deum videbis & gustabis, qui erit
omnia


omnia in omnibus: Regnum illud Deo plenum
est. Quamcunq; in partem conversus fueris ma-
jestatem divinā videbis. Constitue, si placet, spe-
cula duo, eo ordine, ut se invicē aspiciant, cernes
in uno, quicquid est in altero. In cælesti beatitu-
dine omnia specula erunt lucidissima. Videndo
Deum, videbis Deum, & te in Deo. Intuendo te,
videbis te, & Deum in te. Contemplando San-
ctos, Videbis sanctos & Deum in sanctis. Quic-
quid erit habebisq; id totum in Deo videbis;
quicquid Deus est, & quicquid habet, ad tuam
pertinens beatitudinem, id omne in te videbis.
O immensa fælicitas Beatissimæ ANNÆ BAT-
TEN, quæ tumidum per mensa æquor sibiq; de-
stinatam viam, Aulam Magni Regis jam ingres-
sa est. Progenita illa fuit ex vetusta Battorum
familiâ, & Anno 1602, nata, patre Viro Integer-
rimo ABRAHAMO BATTEN, Cive ac Ne-
gociatore Hamburgensi primario; Matre Ma-
trona honestissima ANNA BOUTINS, ad-
huc superstite. Epitaphium proavi Dni. BAR-
THOLOMÆI BATTI Viri pii ac Docti, in
æde hujus urbis Mariana visitur. Fratres habuit
Viros integerrimos, Dn. ABRAHAMUM &
Dn. JACOBUM Cives Hamburgenses haut
postremos, ut & Virum Clarissimum & Consul-
tissi-


ssimum Dn. BARTHOLOMÆUM, J. U.
Doctorem. Sororem habuit unicam MARIAM,
Dn. DIETERICO E LERS, Civi Dantisca-
no nuptam. Per baptismum Christo adducta,
gressus suos cœlum versus dirigere cœpit, utq; in
pietatis cursu pergeret & proficeret, sollicita cu-
rabant educatione parentes. Piè igitur & ca-
stè educata, postquam ad eam adolevit æta-
tem, ut ad nuptias transire posset, Anno 1635.
Mense Majo sacri matrimonii jure juncta fuit.
Viro Clarissimo & Consultissimo Dn. LEVINO
BATTO, J. U. D. Judicii Provincialis Advocato
& Procuratori solertissimo, ut & Professori hu-
jus Academiae vicario, qui ad cœleste regnum,
aure annos circiter quinque præmigravit, relicta
cum bina prole Viduâ. Viderant enim ex se
natum filiolum unum LEVINUM, & u-
nam filiolum ANNAM CATHARINAM.
Quia autem pia fœmina probo Marito annos fer-
mè octo comiter & concorditer convixerat, æ-
grè quidem à vitæ Consorte divulsa fuit, ast nunc
quatuor annis cum dimidio in viduitate trans-
actis, per beatum obitum in cœlesti Sanctarum
animarum consortio, ei est denuò juncta. Cum
enim ante annum Matrem visitatum Hambur-
gum se contulerat, indeq; ad nos Rostochium re-
dierat,


dierat, ventriculi quadã imbecillitate correpta;
quadantenus decumbere cœpit, sed invale-
scente morbo, & indies novas vires ad destru-
endum corporis ædificium, acquirente, curricu-
lum vitæ à natura datum confecit, refocillata.
prius corpore & sanguine Jesu Christi in sacro
sancta synaxi. Excessit autem 1. Maij. Dum vive-
bat, liberos ad pietatem educabat, precibus vaca-
bat, in Dei verbo solatium & salutem animæ
quærebat, nec tamen rerum domesticarum cû-
ram abiiciebat. Nunc mortua id in Deo invenit
quod quæsit. Lugent mœstissimi orphani, lu-
get Mater; nec immerito: amisit hæc filiam dile-
ctam, illi matrem amantissimam. Non tamen li-
cebit ad mundi hujus ærumnas revocare, trans-
latam ad superna gaudia & beatam cælestis Re-
gis fruitionem. Felix terq; quaterq; beatus, qui
fiduciã meriti unicè peccata expiantis, devotã
mente sequitur. Quam justè Electi Dei, spreto
mundo ad immensam illam gloriam aspirant,
cujus experimentum seu gustum percipiunt
quandoq; in terra. Jam salutariter licet in mundo
contemnere divitias, negligere honores, odisse
voluptates: Jam tutò licet gaudere in tormentis,
lætari in laborib9, exultare in ærumnis. Infelix æ-
ternũq; infelix qui mundũ sectatur, & nulla cœ-
lestis


lestis regni jucunditate trahitur. Quia au-
tem Matronæ nunc beatissimæ exuvias hodiè
horâ primâ in templo Mariano terræ, ut fas est,
committent superstites liberi & Amici, vos Cives
Academici hoc publico programme amicè
invitamini, ut piè defunctæ supremum funeris
honorem exhibeatis. Præsentis vitæ fugacita-
tem, & futuræ perennantis jucunditatem mente
perpendite, & vos ad exitum ex hac vita feli-
cem studiosissime parate. P. P. Rosto-
chij 4. Maji, Anno 1647.











dierat, ventriculi quadā imbecillitate
quadantenus decumbere cœpit,
sciente morbo, & indies novas vires
endum corporis ædificium, acquire
lum vitæ à natura datum confecit.
prius corpore & sanguine Jesu Ch
sancta synaxi. Excessit autem i. Maij
bat, liberos ad pietatem educabat, p
bat, in Dei verbo solatium & salu
quærebat, nec tamen rerum dome
ram abiiciebat. Nunc mortua id in
quod quæsiuit. Lugent mœstissimi d
get Mater; nec immerito: amisit hæ
ctam, illi matrem amantissimam. N
cebit ad mundi hujus ærumnas revo
latam ad superna gaudia & beatam
gis fruitionem. Felix terq; quaterq;
fiduciâ meriti unice peccata expian
mente sequitur. Quam justè Elect
mundo ad immensam illam glori
cujus experimentum seu gustum
quandoq; in terra. Jam salutariter lic
contemnere divitias, negligere hon
voluptates: Jam tutò licet gaudere in
lætari in laborib9, exultare in ærumn
ternūq; infelix qui mundū sectatur,

